



# Disputatio medica inauguralis de cephalalgia particulari

<https://hdl.handle.net/1874/347234>

21.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S  
D E

CEPHALALGIA PARTICULARI,

*Q U A M ,*

D I V I N O F A V E N T E N U M I N E ,

*E x auctoritate Magnifici Rectoris ,*

D. H E R M A N N I v a n H A L E N ,

S. S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclyrâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesia Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu , Nobilissimeque  
Facultatis MEDICÆ Decreto ,  
P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,  
Summisque in MEDICINA honoribus & Privilegiis  
rite , & legitimè consequendis ,*

*Publico examini submittit*

J OHANNES H ENRICUS S CHLET , Lubec.

*Ad diem 24. Junii , horis locoque solitis.*



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ  
Typographi , clc Ioc LXXXIX.



# PROOEMIUM.



Efectus , quem Eruditorum submitto  
judiciis eorumque examini fisto , hujus  
est indolis , ut suas potissimum exer-  
ceat vires in certa quadam capitum no-  
stri parte ; licet ejus causa non semper  
nata in capite ipso , sed aliunde eo dedu-  
cta , aut per consensum affectum , uti nos infrà pluribus di-  
cemos . Et vires ejus in delicata & admiranda capitum tex-  
tura sese manifestant satis , dolore semperimmani , ns. ex-  
cipere velis dolorem gravativum , satis tamen molestum , quô  
etiam sêpissimè tentantur Mortales . Non solum autem in  
stuporem nos rapiunt certa periodus & accurata sêpe cir-  
cumscriptio doloris , ultrâ quos terminos non transgredi-  
tur : Sed ingens etiam varietas Symptomatum haud raro  
Medicum licet versatissimum alias , eludit , ut , quid sen-  
tiendum sit dubitet . Hinc præsens affectus jure appellari  
poterit πολύμεθος & Protheô Chamæleoneque mutabilior .  
Quam ob causam haud inutile duxi , examinare aliquan-  
tum accuratius hunc hostem quô è felicius ejus insidiis  
occurrere possimus . Implorans igitur primò Numen di-  
vinum , ut benignissime hisce meis annuat conatibus ,  
quô cedant apprimè in sacrosanctæ ac individuæ Trinita-  
tis gloriam æternam , ægrotantis auxilium suare , pro-  
priamque salutem jucundam .

DISPUTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

D E

CEPHALALGIA PARTICULARI ,

§. I.



Omino autem præsentem Affectum Cephalalgiam, *τῆς κεφαλῆς καὶ τῆς ἀλγεῶν*, quod est simul sumtum Græcis *κεφαλαλγία*, exprimens dolorem capitis. Variè ait huc appellatur apud Græcos; uti *οὐδέν τις ἀλγεῖται*, οὐδὲ πόνος, adjecta semper unicuique voculâ *τῆς κεφαλῆς*; quemadmodum etiam videre est apud Sennert. de Cap. & cerebri morb. l. 1. p. m. 3. S. 1. c. 2. Gallis vocatur *mal de tête*: Italis *dolor di capo*; Anglis *Grief or dolor of the head*.

Adjicio voculam, particularem, quod animus mihi tantum est agere de iis Capitis doloribus qui in certa fiunt quâdam parte & in certo capitis latere; non autem de iis, qui in toto oboriuntur capite qui sub Cephalalgia simpliciter dictâ tantum comprehenduntur. Unde etiam diversa sunt sortiti nomina scilicet Hemicrania, Eterocrania, Clavus, Monopagia, dolor frontalis, dolor Syncipitis, dolor Occipitis, & qui sunt aut fixi, certamque observantes periodum, vel minus.

II. *Ημιπανία* alias etiam appellatur, à Sennerto, *Ημιπανία*; sed minus usitate. *Ημιπανία* derivatur ab *Ημι*, semi & *της πανίας* calvaria: quam appellationem etiam Latini retinent, dicentes Hemicrania, dolor qui est in uno tantum latere sive sit in dextro, sive sit in sinistro, scilicet qui est in dimidietate Cranii: quod mecum vult Lonicer. in Explicat. morb. dum dicit; Hemicrania vocatur à dimidia cranii parte.

III. Notum est, si sceleton intueamur, Cranium mediante suturâ sagittali in duas dividi partes, sinistram & dextram; & quando in

in harum alterutra dolor, dicitur laborare Hemicraniā; ac homo eā laborans, vocatur Hemicranicus. Non autem hoc ita accipendum, quasi hæc appellatio desineret, si dimidium Syncipitis vel occipitis etiam occupat aut si oculum, aurem ejusdem lateris simul afficit, sive nasum in æquales partes dividit.

Eterocrania unum idemque cum Hemicraniā videtur, esse Aretæo; uti ex ejus descriptione patet, quam habet l. 3. c. 2. de causis & notis diurnorum affectuum: tūm, si vi vocis insistamus nihil quoque videmus differentiæ. Gallis nuncupatur *la Migraine*: quæ vox illis etiam significat exiguum aliquod conchylium, quod mederi dicitur Hemicraniæ: Italisch vero *l'Emigranea vel Magrana*, vel dolore di capo da una banda: Anglis *the Megrim*.

IV. Notandum adhuc est de Hemicraniā, quod quidem ægro horribiles creet dolores, & ut plurimum ingentia Symptomata miratione digna comitantia habeat; sed solatum quod miseris reliquum, est, quod inducas dare soleat, nec nisi per intervalla repetere suam atrociam. Quod etiam annotatum legimus inter Petr. Sal. Div. Annot. super Donat. Anton. ab Altomari c. 12. & ap. alios Practicos uti Carol. pison. de serosa Colluv. Sennert: de cap. & cerebr. morb, quale quid cum illis annotarunt Maurit. Hoffm. & Faschius in disp. quadam de suffocat. hyster.

V. Aliud Capitis doloris genus, quod jam sequitur, Clavus dicitur. Hic autem dolor fixior est & hæret tantum in certa aliqua capitis particula: interdum vix ciceris latitudinem æquat. qualem in supercilio notat Hugo Conf. v. fol. 7. & Poterius in vertice obs Cent. 3. c. 3. Tum Clavus etiam dicitur Duncan. Liddel in arte medica l. 3. c. 7. quando scilicet exigua capitis pars dolet; quōcum consentit Roderic. Lusitan. de morb. mul. l. 2. c. 7. Et dolor, qui ibi hæret altè infixus est, nec, saltem rarissimè, majus minusve occupat spatium; sed candem semper affligit particulam.

Clavi hysterici etiam mentionem facit Th. Sydenh. in sua dissert. Epistol. de affectione hysterica. Græcis dicitur Ηλα. Est quoque Tuberculi genus in plantis digitisque pedum maximè, quod haud parum incommodat ingressum Clavus exprimitur Gallis *un Clou*; certe hoc genus capitis doloris haud malè ita vocatur, quoniam sic pungit ut quasi clavus ferreus infixus videatur: mecum consentit Lonicer. in Explicat. morb. Fiunt etiam callosa quædam in candido

oculi tubercula, quæ Clavi oculor. nominantur. Præterea Clavus est vestimenti genus veluti quibusdam Clavis aureis distinctum; cuius mentionem faciunt Sueton & Ovid. Hic Capitis dolor Clavus dictus etiam nuncupatur Monopagia teste Roderic. à Castro de morb. mulier. l. 2. c. 7. Sed Duncano Lidd. l. 3. c. 7. in arte medica exprimitur Homonopagia, per quod intelligit etiam ejusmodi dolorem, qui in una parte altè infixus.

VI. Si vero dolor radices latius agit & accedit ad magnitudinem & figuram ovi alicujus, hujus vel illius avis, appellatur ovum: Hic dolor eandem quoque fixitatem uti Clavus, observare solet. Non necesse est indicare, quid dolor syncipitis, occipitis sive frontis sit, cum hæc jam satis per se pateant.

VII. Verùm enim vero Dolor, cum non nisi in partibus quām quæ sunt sensu instructæ, fieri poslit, mihi jam clariss explicare incubit, quid pars sensibilis sit, quid hoc sit, quod patiatur in capitis dolore: nam hoc esse aliquid, quod organis sensus instructum necesse est.

VIII. Examinabimus igitur quænam partes sint sensibiles & quænam minùs, observandò ordinem, uti sepe primò in Anatome nobis offerunt. Cutis primò adest, quæ est in capite crassissima; non sentit autem adeò acutè uti pericranium, in quo sàpē atrocissimi obruntur dolores.

IX. Jam nobis se exhibet Cranium, ossa aliqua substantia, constans ex duabus tabulis & ex pluribus partibus ob ejus suturas. Hoc autem sensu caret; dolores igitur adeò immanes in eo existere nequeunt: ratione vero fibrarum membranacearum per ejus suturas exeuntium, dolor in hac vel illa regione suturarum percipi utique potest. Insuper ossibus denegatur sensus. Et magni dolores quibus vexantur usque ad misericordiam Podagrī & Arthritici, non sunt in ossibus, sed in membranis ea investientibus. Hinc Aretæus l. 4. c. 12. ubi tractat de Arthritide, inquit, magnum est miraculum non dolere ossa etiamsi quis illa fecet aut collidat. Ea de causa etiam ossa in cariem abire, illaque abradi, secari urique possunt à Chirurgis. Et δευτέρη qui Scorbuticis & lue venereâ laborantibus & quartanariis familiaris esse solet, fit ob ossum medullarumque tantum membranam.

X. Sub cranio tenditur membrana crassa, dura mater dicta. Hęc acutissimi

acutissimi est sensus, unde etiam interdum immaniter dolet; Cranium interius ubique succingit, ubique etiam ejus sinus & cavitates comitatur. Constituit quoque varios sinus, qui dicuntur laterales & unus longitudinalis, in quibus saepissime dolor habet. Hic longitudinalis dicitur à figura, falciformis: profundè autem descendit, cerebrumque in sinistram dextramque partem dividit. Cerebellum à cerebro hæc quoque distinguit membrana: cum cranii basi firmiter cohæret, superius autem per fibras & vasa cum futuris cranii.

XI. Hanc sequitur alia membrana, pia mater dicta: sensus autem acutissimi est, mollioris tamen & tenuioris substantiæ, proximè cerebrum cerebellumque ambit, ubique sese insinuans in anfractus cerebri, illosque comitatur & hinc inde plexus varii efformati à vasis sanguineis inter se distinctis ab illa membrana sustentantur: & Wharton. in sua Adenograph. c. 24. inquit, credibile est hos plexus habere nervosas nonnullas fibras, quamvis ob exilitatem cerni nequeant. Vasa sanguinea mediante hac membranâ per cerebrum deducuntur. Omnes partes cerebri cerebellique uti sunt ventriculi, nates & testes, glandula pinealis, glandula pituitaria &c. ab hac tenui membrana investiuntur. Sic Glaser. in tr. de Cerebro c. 1. demonstravit in Anatome aliqua Anno 1673. testes & nates hac tenui membranâ obvolvi: & secundum Olhafium vasa & ventriculi ab illa etiam investiuntur, quod quoque volunt Bauh. & Diemerbr.

XII. In his itaque partibus tali membranâ comitatis crudeles hære possunt dolores. Exquisitoris tamen sensus habetur membrana tenuis alterâ illâ durâ, quoniam ei spiritus animales ob viciniam cerebri, ex eo copiosius impertiuntur, uti Glaser. tr. de Cerebr. vult.

XIII. Quid jam sentiendum sit de Cerebro & cerebello etiam vindendum est: Tota hujus ac illius substantia tam corticalis quam medullaris, quoniam cum hisce membranis nil simile habet & toto cælo ab illis differt, omnis sensus utrique etiam denegatur merito. Hinc Montanus in Medicin. p. 1. c. 17. dicit, Cerebrum non sentit. Fernel. Physiol. l. 1. c. 10. inquit, cerebrum sensu caret. Tum nulli nervi cerebrum penetrant, etiamsi omnes ab eodem originem trahant: Testib. Wharton. in Adenogr. c. 3. & Th. Bartol. in Anatom. l. 3. c. 3. Quam ob causam Abscessus cerebri non sunt cum intenso cap. dolore sed potius gravativo & cum propensione in somnum. Chirurgi etiam

etiam aliquam partem Cerebri sine sensu doloris eximere possunt. Exulcerant interdum externis vulneribus corticales glandulae cerebri & insignes exsurgunt excrecentiae quae à similitudine fungi appellantur, uti habet Malpigh. in Exercit. de structur. viscer. c. 1. hæ autem excrecentiae mordicantibus medicam sine omni sensu absuntur.

XIV. Videmus igitur quid sit, quod adeò acutè sentiat in capitulo dolore, & ubi hærere queant hi atrocissimi dolores. Membranas esse, audivisti: Hinc etiam palpebræ, quoniam membranæ à pericranio ortæ instructæ, & orbita oculi ab eodem succinctæ sæpe dolor ibi sentitur. Oculi cur sæpiissimè in consensu rapiantur, etiam satis patet, quoniam duabus omnino cerebri membranis involvuntur: sic dura oculi Tunica est a dura matre: tunica ~~xopoeris~~ dicta à pia matre investitur; Retina etiam obvolvit tenui membranæ.

XV. Sed quid propriè sit quod adeò acutè hasce sentire faciat membranas, valde intricatum est. Eruditissima etiam ingenia formidant suas hic explorare vires. Nam Malpighii papillæ pyramidales quas in cute tanquam organa tactus fixit in his membranis tam minus quam in cute rem absolvunt. Tum Anatomicorum nemus hucusque ostendit papillas ejusmodi in membranis, & tamen nihil magis in toto nostro sentit corpore, quam membranæ. Sic viscera quoniam ex membranis constant, valde dolent sæpiissime: sic dolent Nephriticis Renes, & Calculosis uretheres ac vesica: sic conqueruntur de summo dolore in latere Pleuritici: sic vociferantur Podagrifici, ac Arthritici ob ingentes cruciatus in periostio existentes: sic etiam oculi ipsi ac aures internæ non ob papillas pyramidales dolent, sed ob tunicas & membranas tantum.

XVI. Membranæ sunt igitur quæ ita dolent in nostro affectu: ad adimplendum autem organum tactus necessarii sunt spiritus animales ut rectè statuit Barbett. in Anatom. practic. c. 6. cum Glasser. tr. de cerebro Lowerus etiam satis demonstravit ligatō nervo aut eō dissectō nec motum nec tactum fieri posse. His vero membranis non deficere possunt spiritus animales quoniam illorum officinam in quo elaborantur ipsi, omnino proxime ambiant præterea ut sensus fiat perfectus, necesse etiam est influat sanguis; nec hæ membranæ eō destituuntur. Arbitror jam clarum esse aliquò modo quare membra-

I N A U G U R A L I S.

membranæ adeò acutè sentiant, & Cartesi sententiam omnino esse rejiciendam, ubi statuit, membranas quæ tegunt nervos & partes, non magis esse sensus ac tactus organa, quàm chirothecæ quibus corpus contreftamus.

XVII. Dolores qui has membranas frequentissimè impetunt variant situ, ratione vehementiæ, temporum, durationis, ac causarum: alii sunt fixi, alii inconstantes, alii certum tempus observant, alii minus, alii sunt per Συμπάθειαν, alii per Ιδιωπάθειαν: quæ omnia ex sequentibus satis elucescent.

XVIII. Experientia quotidiana satis testatur, Capitis hosce dolores Protheō mutabiliores esse: sic aliqui tantum sunt cum appetitu dejecto, sine ullo tumore vel rubore, & sine omni febre, cum dolore autem futuræ Coronalis, qualem observavit Borell. in quadam puell. obs. 38. c. 1. Alii autem invadunt cum febre ardente, naufemâ, rigore, vigiliis & cum anxietate summa: interdum sunt gravativi tantum: nonnunquam verò acerbissimi; interdum dolor est proferrens Tulp. obs. 33 lib. 1. Aliqui conqueruntur de lacinante dolore: Aliquos vexat cum frigoris sensu, adeò ut interdum nequidem ignis actualis admotione se comburi sentiant, uti Binningerus in suis obseruat: habet. Alios vexat Capitis dolor cum manifesto sensu caloris Tulp. obs. 33. l. 1. Nonnunquam dolor est acutus circa frontem ut puella quædam cultrô sibi caput dividi frequenter postularet.

Aliquis videtur non secus ac si virgis eō in loco cæsi essent: aliis æstuofus instar aquæ bullientis: nonnullis pungitivus vel tensivus vel mordens, vel dilacerans videtur. Quidam perpetuò scalptu caput dilacerare impelluntur Bonet. de abdit. morb. causis c. 1. Capilli interd. inverti nequeunt sine ingenti dolore. Nonnunquam, quotiescumque gravior paroxysmus adest, pili capitis, verticis potissimum eriguntur & per notabile tempus erecti manent, quod Cl. Meib. observavit in Matrona quâdam. Nonnulli prænimio dolore ejulant, vociferantur, caput ambabus manibus sibi comprimi rogam, dicentesque se sentire posse quomodo materia aliqua intus sub crânio pro vario situ capitis huc vel illuc impellatur. In quodam qui in Syncipite dolore gravissimo divexabatur, omnes dentes excidisse observavit Fernel. l. de lue venerea c. 6.

XIX. Hemicranicis sæpe graves convulsiones cum Febribus superveniunt Tulp. l. 1. obs. 2. Et Hemicrania cum conyulsivis sævis-

que admodum tum lumborum tum totius abdominis cruciatibus commutavit, uti ap. Car. Pison. legere est. Hemicranicis etiam vel Eterocranicis nervi saepe distenduntur, facies obtorquetur, oculi vel contenti instar cornu rigidi sunt, vel huc atque illuc interius convelluntur ac vertiginosè agitantur, in ipsisque dolor profundus usque ad intimas tunicas descendit, sudor immodicus effluit, nausea & vomitus biliosus comitantur: homo consistere nequit, sed in terram delabitur, animi pendent: vitam ægrè ferunt, fugiunt etiam quodammodo lucem, tenebræque his ægritudinem solantur: alia plura sympt. narrat Aretæus l. 3. c. 2. de notis & causis affectuum diuturnorum.

XX. Dolor capitis, interdum sub æstatis initium invadit, cottidie discedens statim horis revolvitur, certumque suum tempus observat. Tulp. obs. 13. l. 1. Aliquando capitis dolor est reciprocus & à capite in pedem & à pede identidem ad cerebrum revolvitur. Tulp. obs. 33. l. 1.

XXI. Supercilia saepe sunt rigida, tument, rubent, interdum etiam sine omni rubidine: ad dimidium usque claudunt oculum: omnia geminata vident; ne minimam quidem offendam in cubiculo patiuntur: interdum etiam, omnes partes ejusdem lateris affecti, uti auris oculus ad dimidietatem nasi usque tantum dolent, latere alterò optimè sanò: quosdam invadit dolor cum horripilatione quâdam levi, deinde sub sequente magna in sanguine ebullitione: saepius etiam invadit cum lassitudine omnium membrorum. Haudrard non olfaciunt, nec gustant, vita ipsis invisa est, mortemque discipiunt: hinc saepe adeò inpatientes sunt, ut caput tempore paroxysmi in partem plures impingant, pugnisque vehementer impetant ut observavit Poter. C. 3. c. 3.

XXII. Haud pauci Capitis dolores sunt cum magno tumore, dentesque saepè unâ dolent. Quidam dolor interdum est cum ischuria quale quid observavit Bonet. c. 75. de abdit. morb. causis. Quidam maximò cum bulimo ac ingenti oris ventriculi morsu, qui si statim demulcebatur cibo aliquo aslumto, aut fico unâ tantum comedta, aut medicamento certò aliquo haustò, saepissime impediebatur paroxysmus, qui alias maximos cruciatus parere solebat: sin vero hoc negligebatur, omnia symptomata magis magisque increbant, cum animi pendentia quidem levi sed magna ebullitione sanguinis

guinis inseque; quod ipse haud semel in quadam Hemicranica ob-servavi.

XXIII. Inter medios cruciatus sæpiissime in capitibus dolore particu-lari multùm seri flavi & tenuis naribus effluxit, Th. Willis. Anat. cerebr. c. 12. Auris aliquibus manavit Ballon. Epidem & Ephemer. l. 2. p. 270. Ex utriusque interdum oculi angulis materia acris stilla-vit Fernel. l. de lue venerea. c. 6.

XXIV. Sed quis potest enarrare omnia symptomata, quæ cum Capitis dolore particulari sæpe conjuncta videmus? Nonne illa va-riare utique possunt pro diversitate subjectorum ac causarum? Cau-sarum in primis ingentem esse varietatem, quis dubitat? Harum au-tem indagationem esse difficillimam nemo non fatebitur: Et in il-larum notitia cardinem totius curationis versari nullus non affirmabit: Hinc Virgil. optimè: Felix qui poterit rerum cognoscere causas.

XXV. Veritas autem causarum nunquam melius affulgere nobis potest, quam per Anatomen eorum, qui ejusmodi capitibus dolorē, de quo nos hic tractamus extinti fuerunt: Et hoc modō deinde nobis faciliora erunt explicatu omnia.

XXVI. Sic Th. Willis ante anatomen difficile erat dictu, quomo-do Hemicrania sinistri lateris in viro adhuc vivente fieret; post eam vero deprehensā Carotide dextra intrà cranium osseā, aut potius la-pideā, facilius id quoque explicare poterat, Tr. de cerebr. Ana-tom. c. 7.

XXVII. Lapidescere autem vel osescere aliquid in corpore nostro posse, alii etiam Auctores testantur: sic legimus ap. Deusing. de fœtu Mussipontano, qui extra uterum in abdome matris repertus, in lapideam omnio materiam abierat: sic de Schirris in-terdum lapidescentibus loquuntur Chirurgi. Tulp. l. 3. obs. 9. mentio-nem facit Turundæ intrà corpus lapidescentis. De calculo Renum & vesicæ res notissima est. Arteriæ carotides æque uti cartilaginiæ in osseam substantiam facilè abire possunt: Tùm Regner. de Graaf in Miscellaneis curiosis quoque notat arterias Carotides aliquando planè induratas fuisse. Et senes, quòd incurvi incedant, nec dorsum flecte-re uti juvenes, queant, fit ob Cartilaginiæ, inter vertebrae, inter-cedentes, abeuntes in osseam substantiam, uti iis notum qui senes secuerunt.

XXVIII. Membranas cerebri sèpè a naturali statu recessisse etiam Anatome docet: sic P. Pawius obs. Anatom. 8. annotat duram matrem aliquot locis in occipite ubi dolor in vita erat, exæsam fuisse. Rhod. Cent. 1. obs. 33. observata fuisse dicit in dura membrana, pià illæsa, tria gummata candida in rustico lue venereo detentò. Sæpius membranæ coalitæ inter se sunt repertæ, imprimis in Scorbuticis, & lue venerea detentis quale quid observavit Th. Willis Tr. de Scorb. c. 4. Ejusdem coalitionis juxta sinum longitudinalem ubi etiam dolor tantùm erat, mentionem facit idem Auctor in Anatom. Cerebr. c. 9. addit quoque vasorum oscula hic penitus observata fuisse obserata, ut sanguini licet plurimum ebullienti, in sinum propinquum nullus aditus relinqueretur. Observantur interdum vasa meningum sanguine nimiò turgentia. Willis Anatom. Cerebr. c. 8. vidit membranam à flatu distentiam; ipsa autem dissecta sine lymphæ effusione tumor illico subsidebat. In aliis reperta est lapidea aliqua substantia menigi adnata. Sub medio ossis syncipitis usque ad os temporis extensum vidit Ilmerus ulcus oblongum cum sanie crastà & multùm flavâ.

XXIX. Reliquæ insuper partes capitis vitiatae sunt deprehensæ: sic observati sunt ventriculi cerebri pleni seri limpidissimi; cuius uncias XII. in ventriculis anterioribus invenit Ilmerus. Plexus choroidæus nonnunquam fuit deprehensus arrosus & putrefactus. In quadam Matrona Nobili, quæ erat Hemicranica, & dolorem sentiebat in tota capitis parte antica & sinistra, inventum est multùm aquæ flavescentis mediocriter salitæ in singulis cavitatibus duræ matris intrâ cranium tamanticis, quam posticis. In alio circa tempus post mortem exigua puris quantitas in ea regione ubi dolor erat sub crano reperta est; in cerebri autem penetralibus abscessus erat, à quo credibile manasse saniem tam sævi doloris. Interdum est repertus in cerebri substantia tumor quidam callosus; qualem invenit prope meninges Jac. Fontan. Medic. pract. l. i. c. 3. in cadavere quod secuit in Xenodochio Aquensi.

XXX. Apud G. Ballon. Paradig. 19. legimus in cadavere quodam repertum esse vermem, inter Calvariam & piam matrem situm: Æger autem conquerebatur cum adhuc viveret, de dolore capitis in placibili circa futuram coronalem. Gesnerus lib. 5. Histor. Animal. uti & Hollerius l. 1. de morb. int. c. 1. affirmant scorpiones in cerebro fuisse repertos, qui vehementis capitis doloris causæ fuerunt, & mortem denique

denique attulerunt. Vermiculos circa nates & tertii ventriculi cerebri collem & convallem repertos fuisse, videre est ap. Rolfinc. in Disserat. Anatom. I. I. c. 13. Myriades etiam pediculorum sub pericranio & in ejus meditullio deprehensae sunt. In illorum capite qui febb. Ungaricis extinti fuerunt, etiam reperti sunt vermes. Reperta est interdum in iisdem, non solum magna fædissimi excrementi pus referentis copia; sed & cimicum aliorum vermiculorum multitudine. In cavitate frontis sepe etiam vermis deprehensus. Non autem necesse est semper generentur in cerebro; sed etiam extrinsecus per aures & nares dormientibus irrepere possunt.

XXXI. Nonnunquam causa doloris non reperitur in parte dolente, sed in altera, quæ est sine dolore. Sic mulier quædam continuâ dextri lateris Hemicraniâ diu & acerbissimè affligebatur; post mortem autem crebrum fuit inventum in sinistro latere corruptum, ichore & sanie refertum, quod habet H. Saxon. præl. pract. p. I. c. I.

XXXII. Causa doloris non semper in capite genita est; sed eò aliundè saepius deducitur: sic de verribus extrinsecus ad caput per reptantibus modò dictum est: tum materia purulenta post mortem in capite deprehensa, saepè eò deducta est in pleuritide & peripneumonia à pleura & pulmonibus.

XXXIII. Leonh. Botall. de lue venerea c. 16. dicit repertum fuisse in quodam, qui in vita semper conquestus erat de dolore gravativo circa synciput & tempora, cranium ad coronalis & sagittatis Commissuræ regionem sphacelatum putridumquè Coronati Regij latitudine: Craniô vero aperto statim profluxisse tum per ossis aperturam, tum per aures & nares, ichorem putrilaginosum instar aquæ, fuligine fumarii & crocō aspersæ: membranæ putridæ etiam erant, quæ solo tactu facile rumpabantur: corruptum & cerebrum & nervi optici.

XXXIV. Nonnulli Auctorum etiam mentionem faciunt doloris cap. à carie ossis oborti; uti Rhod. Obs. 74. C. I. Rolfinc. tr. de dolor. cap. Barthol. Hist. 8. C. vi. Notandum est autem quod suprà dixi, cranium haud dolere posse, nisi simul quoquè afficiantur membranæ per id exeentes. Quomodo vero purulenta materia intrà illas duas cranii tabulas generari queat, quæ deinde exfudat, & membranas afficit, docet satis luculenter Hipp. II. de vulner. cap. Intrà has duas cranii laminas gigni posse abscessum quoddam ge-

nus vocatum Meliceris , docet Rolfinc. Tr. de dolor. cap. Idem observavit quoquè has tabulas interdum à se invicem discedere multum & ita premere meningem.

XXXV. Observatum fuit sæpius post iictum aut casum dolorem particularem ortum ob depresso cranium & introcessionem particulae cranii meningem prementis & porro per consequens vasa sanguinis. In cavitate frontis sæpe deprehensus abscessus.

XXXVI. Abscessus sæpe quoquè in cerebro sunt reperti. Quidam Auctorum dicunt cerebrum esse liberum ab Abscessibus : præsertim intuentes illud , deprehendunt esse plane diversæ substantiae & ob vasorum paucitatem differre ab aliis partibus in quibus frequenter contingunt Abscessus : aut exinde fortassis est, quod legant apud Platerum in quæst. physiol. statuentem cerebrum frigidius esse reliquis visceribus. Experientia tamen nos docet id haud impossibile esse , & quotidie fieri. Joh. Bapt. Montanus nobis adstipulatur , dicens, cerebrum etiam abscessus pati potest. Et in penetralibus cerebri abscessum fuisse deprehensum, suprà jam diximus. Hoc autem certum est, ibi fieri frequentius in cerebro Abscessus, ubi vasa sunt copiosiora : hinc inplexu choroidæo sæpe observantur. Loquuntur etiam Auctores de Abscessibus repertis in Rete mirabili, natibus, infundibulo cerebri inhærentibus & in processibus mammillaribus.

XXXVII. Abscessus autem variant in pr. situ magnitudine & materia , quam continent : sic aliqui non excedunt magnitudinem fabæ, quidam vero magnam cerebri partem occupant : Alii in se continent materiam merè purulentiam, aut materiam aliquam ichorosam, sanosam , vel serosâ materia limpida ac copiosa scatent &c. Alii folliculo includuntur , nonnulli vero minus. Priorē si intrâ cranium ac duram meningem , vocantur à Bootio vomicæ hypocraniae: Qui verò intrâ duas illas membranas & inter has, ac cerebrum , vomicæ tantum. Abscessus autem qui folliculo includitur emissis quoquè quibusdam filamentis meningi sæpe alligatur, efficit in eo latere in quo consistit , jugem cujusdam ponderis sensum ac molestissimum dolorem à compressione sc. ac distensione meningis, vid. Boot. de effect. omiss. c 2.

XXXVIII. Quid propriè sit Folliculus & unde generetur valde adhuc disputatur. Aliqui dicunt nihil aliud esse quàm pus , quod vetustate temporis callum contraxit , uti vult Fern. pathol. 1. 7. c. 7.

Hoc

Hoc non est adeò absolum, quoniam pus, postquam in sinu aliquo diu hæsit, latera ejus obdurescere & callescere videmus. Quidam dicunt generari instinctu opificis S. Creatoris, utpote qui voluerit materiam aliquam extraneam suis includi terminis. Sed hoc Argumentum non procedit; videmus multos alias magnos abscessus sine omni folliculo, sine omni membrana esse. Aquapend. nitititur hoc decidere, qui videatur in sua Chirurg. Bootius de Affecti. omiss. inge- niose explicat Folliculor. generat. ad quem ablego Lectorem.

XXXIX. Lapidès reperti sunt sèpe in interno capite: sic lapis ex gypsea materia concretus in posteriori parte capitinis inter duram & piam matrem deprehensus, Hild. C. 1. obs. 11. Lapidès in cap. ge- neratos fuisse notant alii Auctores Kentm. Holler. & Bonetus.

XL. Observari sunt magni capitidis dolores in iis qui habuerunt cranium crassum atquè sine futuris, Plater. obs. lib. 2. aut nimis arcas futuras Columb. Anat. I. 1. c. 5. Qui utique fieri possunt quoniam vapores & excrementa quæ continuè sanguis & cerebrum de- mittunt, haud exhalare queunt, sed intrà Calvariam concludun- tur, unde necesse est magna in capite fiat perturbatio. Nec audiendus est Celsus qui I. 8. c. 1. caput sine futuris firmissimum atquè à dolore tutissimum statuit. Tum Fabr. Hild. dissecuit quoddam cadaver humanum, cuius cranium in vertice vix papyrus crassitie æquabat, ubiquè instar ossis cribroſi perforatum, cutis quæ extra cranium spiraculum seu caminum illum cooperiebat, flavens fuit; Hujus autem caput vix unquam dum adhuc viveret, dolore affectum fuisse existimat. Possem etiam multa exempla enarrare eorum, qui aliqualem dehiscentiam futurarum semper habent, nec ullò ferè do- lore tentati fuere. Quod si autem futuræ à se invicem discedant certò tantum tempore, quando sc. sanguis nimis æstuat aut ebullit, qui vasa meningum nimis distendit, utique dolor existere potest; quod etiam ab humore seroso valde copioso fieri probabile est. Hoc enim modo discedentibus. sc. à se invicem futuris, membrana, quoniam cum cranio connexionem habet, etiam distenditur admodum quod sine dolore fieri haud potest. Et ejusmodi futurarum discessiones passim leguntur ap. Auctores uti Hild. c. 1. obs. 1. Boot. de affect. omiss. c. 4. Fr. Joel. pract. I. 9. S. 2. c. 3. Sennert. pract. I. 1. c. 21. Carol. pifon. de seros. Coll. Th. Barthol. C. v. Hist. 92.

XLI. Porrò inventum est per Anatomen Cerebellum cerebrō mollius  
in

in iis qui continuo dolore cap. in occipitio laborarunt: in aliis verò aridum & friabile, Riolan. Anthropol. I. 6. c. 2. In quodam, qui per triennium conquestus fuerat de dolore in occipite, ipsa cerebelli substantia flaccida omnino molliorquè multò quam cerebri substantia reperta est: dicente id P. Pawio obs. Anat. VIII.

XLII. Videmus itaqù extot observat. quid requiri ut fiat dolor fixus & continuus in hac vel illa parte tantum capitinis: necessum scilicet est in certa quādam regione sensibili capitinis hæreat aliquod heterogeneum, ut tumor quidam callosus, humores glutinosi & acres, purulenti, fariosi, abscessus, particula cranii abscessa, flatus, lapilli, vermes, serum copiosum; sive adsit nimia vasorum repletio &c. quæ omnia meninges cerebri afficiunt vel premendō, vel distendendō, vel vellicandō.

XLIII. Haud infrequeuter verò hæc vel illa pars capitinis sine ulla tali heterogenea ac evidenti materia valde dolet ob contractam tantum aliquam dispositionem, quæ qualis sit, sensu saepius deprehendi nequit: quomodo autem illa fieri queat tamen docent Auctores. Sic successu temporis pars quādam certa sensibilis fieri potest & manere ob intemperiem, quæ haud olim in ea erat, & quæ jam causata fuit ab iictu, contusione, ulcere, scabie maligna, abscessu; aut Topicis malè applicatis quæ esse possunt vel nimis frigida vel nimis calida, aut narcotica intempestivè adhibita: & quod ab hisce pars saepè calore suo naturali deprivetur, rectè monet D. Danckwart. c. 3. Tr. de Podagra. Imbecillis quoquè redditur post diurnos morbos & luem venereum, vel hæreditariò esse potest, uti vult Platerus. Roderic. à Castro dicit, foeminas saepissimè calorem habitualem & siccitatem in capite contrahere ab usu fortioris lixivii, quō ad decorandos capillos sine delectu uti solent. I. de morb. mul. I. 2. c. 7. sive ista pars magis aeri exposita fuit, aut à combustionē debilitata.

XLIV. Porrò hæc pars, cuius temperies multum læsa & cuius calor nativus debilitatus, levissimè quāvis data occasione, etiam dolere potest. Tum observamus in iis partibus, quibus fontanellæ inustæ fuerunt, deinde fluere semper aliquid ad illas partes: sic pars aliqua abscessu semel tentata facilè iterum afficitur: & hoc fit, quia pars illa amisit justum & naturalem calorem, & quia quādam vasa durante abscessu sunt erosa, quādam obstructa, quādam coalita ite-

rum

## INAUGURALIS.

17

rum, unde tunc non ita liberè, sanguis, uti consueverat anteà, versus partem ferri potest. Et pars quæ semel debilitata, magis fluxioni obnoxia est, quam altera uti Fernel. recte pathol. I. I. c. 22. habet. Insuper ejusmodi pars intemperata maximè sensibilis est, quando magnæ in aere fiunt mutationes, quæ partem ejusmodi vel simpli citer alterant certò modō, aut prius sanguinem, scilicet illum fermentandō, quod vere inpr. & autumno fieri solet.

XLV. Si examinemus reliquas causas capitis dolorem inducentes, fermè quamplurimas reperiemus hujus indolis esse, ut paroxysmum repeatant fermentandō ac ebulliendō sanguinem. Necesse est autem pars quædam certa capitis sit hoc vel illò modō prius debilitata, uti jam dictum. Ad Examen trutinæ revoca modò vapores in aere hærentes sive sint foetidi, sive grati uti fl. lil. alb. aut odor balsamorum fragrantium, aut croci, quale quid observavit Maurit. Hoffm. pensita cibum potum quoad quantitat. & qualitatem. De motu nimio, potu multo vini generosi vel sp. vini aromatibus, animi affectibus uti & de vigiliis nimiis res sine dnbio est. Quid non designat transpiratio prohibita? Quid non evacuationes consuetæ suppressæ si nimirum menses in foeminis, hæmorrhoides in viris subsistant. Hæmorrhogiam incautè suppressam fonticulumocclusum & diurna ulcera consolidata &c. haud parum sanguinem ebullire posse, ut exinde in placabiles in hac vel illa regione capitis oboriantur dolores, satis experientia quotidiana docet.

XLVI. Sanguis verò facilius ebullire potest, si constitutio adest biliosa in subjecto, uti Binner. habet obf. 46. C. iij. nam bilis maximè sanguinem rarefacit Wedel. de medicam. Facult. I. I. S. 3. c. v. in primis si sanguis multò sero abundat; hoc enim secundum Pisonem facile ad ebullitionem est dispositum, & suā naturā sursum potius, quam locum declivem affectat: Et aliò loco inquit fervorem identidem inducit quia sanguini non nisi imperfectè miscetur & confunditur. Egomet ipse frequentes vidi Hemicranias suam debentes seroso sanguini facile ebullenti, originem.

XLVII. Cum aliis quoquè morbis qui à nimia ebullitione sanguinis fiunt, paroxysmum repeti videmus: Sic Catarrhosí de capitis dolore in primis in fronte satis conqueruntur. Cum febre etiam sæpiissime revolvitur Capitis dolor particularis: Hinc Fernel. pathol. I. 4. c. 19. vetus dolor in partè aliqua vitiosa quasi sopitus atquè con-

C

quiescens

quiescens humore irritatō exasperatur cum febre. Peripneumoniacis  
sæpe etiam graviter caput dolet &c.

XLVIII. Omnipotē jam sum persuasus Unicuique has causas examinatō & reliquas, quæ haud enarravi, satis patere, eas non nisi fermentandō ac ebulliendo sanguinem paroxysmum inchoare. Videor etiam satis unā ostendisse quomodo Capitis dolor particularis esse queat continuus ac fixus & quomodo hoc vel illō incertō in primis tempore revolvi soleat.

XLIX. Enimvero multō difficilior explicatu est dolor particularis periodicus, talis scilicet qui certos suos tenet typos, certō tempore, certō die, certāve horā accedit & remittit.

L. Non Capitis dolor tantū suas interdem observat periodos: uti Tulp. obs. xij. lib. 1. meminit capitis doloris statim horis revolutis & raro excurrentis ultrā horam secundam: deinde Rhod. obs. 1. C. i. Capitis doloris certō tempore redeuntis: præterea ap. Binning. obs. 74. C. ii. legimus dolorem in fronte certis horis matutinis repetuisse; Sed multi quoque alii morbi suos observant paroxysmos: Sic cholera fuit periodica Rhod. obs. 69. C. ij. Idem meminit obs. 74. C. ii. sudoris tres dies durantis singulis mensibus loco menstrui fluxus. Hæmorrhagia naris sinistriæ semper redit sub galli cantum Binner. obs. 3. C. V. Idem meminit doloris colici periodici obs. 95. C. V. Salmuth. verò Obs. 63. C. ij. delirii certō tempore redeuntis, & obs. 13. C. ii. Tremoris paralyticī singulis ternis diebus exacerbantis. Tulp. obs. 12. l. 2. mentionem facit *Trixias* quæ revertebatur quolibet decimō quartō die. De febb. intermittentibus res notissima est. Taceo sanguinem menstruum in fœminis quoniam ad morbum propriè non pertinet, uti recte monet Roderic. l. 2. c. 9. de naturā mulier.

LI. Hunc ordinem aut typum multi multifariè explicare annituntur: Aliqui recurrent ad certam conjunctionem Astrorum; sed huic dogmati nil fundamenti subest: nam Astra sunt nimis remota à nobis, hinc radii quoquè illorum adeò sunt imbecilles ut plerique eorum vix oculos afficiant, taceo quod corpus nostrum alterare possint: Et posito influere in nostra corpora, unde quæ so illorum influxus, qualitates & differentias cognoscimus? S. Scriptura filet de ejusmodi influxu. Videatur quoque Sturmius in dissertat. peculiaris ubi contrā Astorum vim disputat. uti & Weigely præfatio dissert. de Cometa,

qui

qui antè quinque & plures annos apparebat. Et Anton. *le Grand.* in Hist. naturali rectè dicit: sidera quidem signa mutationum tempestatumque dici posse, nullo autem pactò causæ.

LII. Alii ad Lunam, quoniam cum Tulp. c. 12. l. 1. observârunt morbos interdum variare, prout variè ipsa Luna movetur, tum quoniam fortassis ap. Diemerb. legunt, in peste Noviomagensi prophasibus Lunæ pestis saevitiam quoque fuisse majorem circa plenilunium & novilunium fuisse exacerbatam.

LIII. Sed ut adjiciam meam sententiam, statuo omnino Lunam non tantum valere in nostris corporibus nec tanta in illis exercere miranda, quorum causæ Lunæ vulgo à multis adscribuntur. Et licet morborum interdum paroxysmi cum Luna crescent aut decrescant, & eorum millena Exempla qui tempus suum cum Luna accuratè observarunt, mihi adferas; tamen non certò poteris concludere, hunc circuitum periodicum morbor. à Lunæ vario motu dependere. Unde quæso potes scire qualitates Lunæ quæ sunt insensibiles? habet etiam Luna lumen proprium? nonne mutuatur lumen suum à sole? parum igitur vel prorsus nihil virtutis habere potest, nisi dicere velis id secundariò facere, & solis radiis qui illuminant Lunam, potius id esse adscriendum, quorum virtus satis nota in his inferioribus, hi prout à nobis recedunt aut accedunt, nostrum corpus etiam diversimodè afficiunt.

LIV. Multa de Luna saepè dicuntur quæ apertè sunt falsa, & paradoxæ: Sic nonnulli dicunt lapidem specularem crescere & decrescere cum Luna; sed Frid. Hoffm. in Clav. Schrod. respondet hoc opticam tantum esse fallaciam, & quomodo hoc fiat etiam explicat. Deinde dicunt fœminas juniores per primam, seniores per postremam quadraturam, ætate medias per alias purgari: Sed hoc lubricum est & minimè constans; nam pituitosi menes saepè cunctantur, biliosi anticipant, unde fit, ut, qui modò in novilunio prodeunt, post menses aliquot in plenilunio moveantur. Nonnulli volunt Matri prædicere an fœmellam sive puellum gestet, si modò sciant an fœmina grava facta fuerit luna crescente sive ea decrescente, quos satis refutavit Mauriceau. tr. de morbis gravid. & puer per. Falsum etiam est quod velint lunam excitare catarrhos, tussim, raucedinem: nam hi morbi non fiunt à Luna tanquam causâ primariâ: sed ideo quoniam sol radios suos qui nostrum alijs calefacerent corpus, nobis subtraxit.

Videtis ig: quām egregiē decipientur ejusmodi homines, qui in cerebro proprio tam stupenda de Lunæ efficacia in his inferioribus finiunt & garriunt.

LV. Nonne tutius est certum typum morborum potius adscribere diversæ nostri sanguinis constitutioni circa hoc vel illud tempus certum? Sciendum est, esse fermentum interdum certum aliquod in sanguine, quod statim temporibus morbum excitet: hinc Willis. tr. de fermentat. c. 5. Quilibet morbus virtute fermenti cuiusdam suas excitat tragedias. Necesse est autem fermentum ejusmodi sit in justa sua ac debita quantitate, uti febrile, quod accedit morbum de se ipso, aut data tantum aliqua causa externā, certō tempore sese semper offerente, in effectum producitur. Et fermentum illud, quod sanguinem accedit, aut partem sensibilem aliò modō afficit, postquam deflagraverit, ut autem iterum generetur, opus interdum est, habeat dies 3. 1. 4. 1. 20. 1. 40. nonnunquam adhuc aliquot horas, interdum menses aliquot, sæpe annum etiam, prout scilicet illud multum, paucum, crassum vel tenue est.

LVI. Fermentum autem dico quoniam fermentandō ac ebulliendo sanguinem potissimum agit. Quidnam autem illud propriè sit non satis luculenter explicare poterit, quoniam admodum variat diversitate subjectorum quibus inhæret. Hoc autem sæpe mole exiguum esse videmus in febb. intermittentibus, quæ parvis aliquot pustulis & ulceribus in labiis omnino utplurimum finiuntur. Et salinæ ac acris sæpe esse naturæ, satis patet ex pustulis & ulceribus. Necesse autem est sint duæ qualitates sibi invicem contrariæ in hoc fermento, ut pugnam inchoare queat, illudquè uti jam dictum adsit in justa ac debita quantitate.

LVII. Ejusmodi vero fermentum morbosum nunquam facilius accendi potest quām si inveniat causam aliquam procatarcticam, quæ ipsi adæquata & proportionata est: Sic morbillorum ac variolarum fermentum nullo tempore frequentius ac faciliter acceditur quām verno tempore; tunc enim singularem aliquam fermentationem in sanguine fieri proportionatam illorum fermento extra dubium est.

LVIII. Sanguis noster, prout idem diversimodè se habet per diem & prout juxta Savanarolam motum magis habet in una hora quām in alia; Sic etiam morbi certō tempore, certaque horâ paroxysmum repetere possunt. Hoc autem sæpe fit, prout sol radiis suis

nos illuminat, aut illos nobis subtrahit: quando igitur hi in corpore hanc vel illam constitutionem certam deprehendunt quæ sibi proportionata est, facile quoque certō tempore dolorem repetere possunt: Sic ejusmodi singularis constitutio fuit in quodam, quem singularis diebus dolor suprà nares sole oriente invadebat, & qui crescebat donec sol meridiem attigisset, qui sensim sensimque minuebatur, donec sub vesperam planè cessabat, ut observârunt Cardan. & Geſner.

LIX. Ii qui multo serô abundant, subtractis illis radiis Solis sub vesperam utpl. singulis diebus recidivam patiuntur, quoniam serum tunc copiosius in corpore cumulatur: Et Piso de seroſ. colluvie benè observavit, Serum illius esse naturę ut soleat sub vesperam exacerbari.

LX. Prout etiam aér hujus vel illius regionis, urbis aut domus vel cubiculi est, & si aliquod fermentum sibi adæquatum offendat, morbus repeti potest & qualem invenit, talem meritò judicat. Hinc puella quædam paupera in Nosocomio à febre continua curata in illo postea se semper benè habebat quoties autem visitabat urbem, toties recidivam passa est, quod observavit Sr. Spon. *dans les observations sur les fievres c. 3.* Id omnino dependebat ab aëre qui in Nosocomio crassior fuit, cui jam adsueta erat puella, in urbe verò erat nimis tenuis. Vitet etiam æger tale cubiculum quod habet recens coloratos parietes; nam si nuper aut facti sint, aut picti, elevantur, vapores mali, qui multum offendunt corp. nostra uti rectè monet Montan. medic. pract. part. 2. Aerem etiam diversimodè sese habere diversitate temporum satis notum est. Videatur Cels. medic. l. 1. c. 4. &c. Et capitidis dolorem quolibet vere rediisse observat Tulp. l. 1. Obs. 13.

LXI. Caput dolere potest ob tempestates certō tempore redeuntes; sic nonnulli qui in certa quâdam parte capitidis quondam læsi aut contusi, eas prædicere possunt quod omnino fit, quoniam pars læsa motum humoris, qui per illas tempestates fit, non adeò promptè admittere potest ob aliam scilicet ac novam pororum constitutionem. Rondeletius observavit quendam Epilepticum insultum toties invasisse, quoties sivit, tantum ventum per nares inrare; quam ob causam semper Gossypium naribus inditum gestavit, ac hoc modò multis præcavit paroxysmos.

LXII. Paroxysmus quoquè repeti potest ob cibos certò tempore diei assumtos : hinc nonnulli inpr. Hypochondriaci , Scorbustici à meridie vel coena de gravativo & compressivo dolore in fronte conqueruntur ; sic etiam tunc Febris in phthisicis crescit , & sudant volæ manus ob novam scilicet fermentationem sanguini illatam.

LXIII. Certa periodus doloris capitidis etiam dependere potest à morbis certam periodum observantibus quales sunt inpr. Febres intermitentes. Aut illa interdum esse potest ob nimios menses , vel eos non rectè fluentes ; sic puella quædam unà cum Catamenis imminutis atrocissimam Hemicraniam passa est , uti habet Faschius in disput. de suffocat. hysterica. vel ob hæmorrhoides aut alias confuetas evacuationes suppressias , quæ interdum in nonnullus certò tempore fluunt , atquè aliostatò tempore iterum subsistunt. Sic Cl. Meib. observavit suppressâ urinâ accessisse semper terribilem dolorem capitidis ; fluente autem iterum , recessisse etiam dolorem : certò argumento raptô aliorum serô.

LXIV. Satis uti arbitror explicatâ causâ , quomodò capitidis dolores certò tempore redire ac recedere , vel certum potius typum observare queant , me converto ad reliqua adhuc enucleanda.

LXV. Inter quæ primò nobis occurrit , quod Hemicrania interdum sit vaga & modò frontem , modò tempus , modo occiput solum afficiat. Necesse est autem uti arbitror , omnino causa sit vel purulenta copiosa materia , saepius etiam serosa quædam acris colluvies quæ huc vel illuc movetur ; & prout hæc vel illa pars magis sensibilis aut imbecillis , etiam præ alia afficitur.

LXVI. Supra ostendimus caput affici per consensum totius ; jam dicendum , illud quoquè in consensum rapi posse ob partes quasdam certas corporis male se habentes. Sic videmus Capitis dolorem particularem saepè pati foeminas quarum uterus non rectè se habet. Sed hic Consensus valde difficilis est explicatu : ille Capitis dolor qui ob parcos menses aut eos omnino suppressos , dici potest quod oriatur à nimia vasorum meninges affatim perreptantium repletione ac distensione , & ob remanentiam multarum particularum acrium ac falsarum in sanguine , quæ satis meninges vellicare ac pungere possunt. Quod autem certa quædam Capitis pars sive synciput sive occiput vel vertex compatiatitur tantum id non potest exinde explicari , sed alia adhuc videtur subesse causâ. Roderic. de morbis mulierum l. 2. c. 7. dicit

dicit Synciput maximè in foeminis compati, quia cerebrum eâ parte debilius, quia ibi major medullæ copia, tum ob vaporosa recremen- ta ad eam partem potissimum tendentia, denique quoniam partes ibi sunt magis sentientes propter membranas, nervos & tendines & ob similitudinem substantiae pati. Addit: solet tamen occipitum ipsis etiam dolere, quia & illud spinali medullæ consentit, cui uterus per tendines & ligamenta connectitur. Et l. i. c. v. ita: Uterus sensum fuscipit per nervos à sexto pari & à spinali medulla: nil igitur mirum si cerebro dorsali, medullæ ac nervoso generi uterus consentiat.

LXVII. Ventriculus æquè promptè ac uterus in consensum sæpe rapitur, certè ob nervos & eandem membranam cum capite com- munem: hinc ii, qui vulnerati sunt in capite facillimè vomunt; Qui consensus fieri utique potest, quando membrana ac nervi ven- triculi irritantur sive ab humoribus falsis & acribus eò descendantibus; sive ob perturbatam spirituum animalium circulationem in sexto pari nervorum. A fermento naturali ventriculi præter naturam tantum autò caput quoquè dolere posse, me docuit sæpe bulimia magna, quæ erat cum frequentibus licet levibus animi *Deliquiis*, in Hemicra- nica quadam.

LXVIII. Haud rarò Caput compatitur ob *συκαλα* in intestinis in- durata vel exsiccata; vel ob vermes qui in illis hospitantur: quibus exturbatis per alvum sæpe definit capitidis dolor. Renum substantia si immutata aut lardosa facta fuerit, ut urinam separare nequeat, vel ob calculum hæc suppressa sit, sæpe ad caput revertitur, ibique sen- sibilis meninges sæpe acrimonia suà vellicat.

LXIX. Fabr. Hild. observavit Hemicraniam à dentibus in eodem latere corruptis; quod utique factum ab acri materia, membranam, quam dentes cum cerebro communem habent, vellicante.

LXX. Jam inquiramus necesse est in distinctam causarum per signa cognitionem. Et benè dixit Galenus: ὁ δεισα γνως, δεισα θεραπεια. Huc etiam pertinet illud Tralliani l.9. c.1. ὅρθης θεραπειας πιθαλιον οὐτως η σιάγρως. Profectò hīc multæ occurruunt causæ, quæ in vita nobis ignotæ, post mortem autem apertò craniò, quales fuerint, primò vi- demus: sic valde difficile est dictu an Hemicrania orta ab ossea Ca- rotide imprimis interna, & quando primò offescit ubi intrà cranium emergit, uti Willius observavit: tum illa symptomata quæ anno- tavit, hoc in casu, nil certi nobis reddunt; dicit præterea mentem

& functiones animales ad finem usque vitæ integras fuisse, & circa initium ægritudinis ejus atroci capitis dolore juxta latus sinistrum torsum: addit, nec apoplexiā pulsus est, quoniam per arteriam vertebralem benè auctam mole adhuc satis influebat. Si autem externa carotis est ossea reddita pulsus fermè in eo latere nullum percipimus, & tactu quodammodo quod indurescat, aut offescat, scire possumus; tum in altero latere pulsus vehementior solitò erit, & in eo latere, in quod sanguis impetuosis influit, ut plurimum semper dolor percipietur.

LXXI. An membranæ exesæ sint, nobis minimè illicò innotescit per signa pathognomonica; nisi suspicio nobis appareat ob exesiones in aliis partibus corporis nostri externis, aut in primis si æger laboret lue venerea vel scorbutô. In hisce duobus morbis suspicio etiam interdum oritur anne fortassis membranæ cerebri coalitæ sint ab interfuso eorum glutinoso humore? sive anne potius à gummatibus & tophis distendantur, ac ita multum impedianc quominus sanguis recte influat? Tum in quānam parte hæreat hæc exesio etiam dici nequit, & post mortem perlustratō cerebrō demum saepè nobis palam fit.

LXXII. Abscessus si hærent in penetralibus cerebri quæ à membranis cerebri minus investiuntur, vix nobis etiam per signa innotescunt, in pr. Cystici dicti: percipimus quidem gravitatem in capite, interdum somnolentia adest, nonnunquam vigiliæ potius, adest saepè vertigo & stupiditas quasi aliqua mentis percipitur: sed fatendum omnino hæc esse etiam aliorum affectuum citra abscessum, signa: nec possumus dicere an in ventriculis cerebri, an in testibus ejus, vel basi cerebri vel potius in superna regione hæreat abscessus. Merito autem suspicamur abscessum, si purulenta quedam materia ex poris cutis exsudet sive per os, nares, aut aures ea exstillet: quod si dolores valde acuti adjuncti fuerint, suspicari quoque licet in parte aliqua membranæ cerebri investitæ hærere. Folliculus tamen quod saepè materia purulenta est conclusa, & licet in penetralibus cerebri hæreat, interdum membranas valde afficere potest distendendo dum per fibras suas saepè annexatur iis, uti observavit Bootius de A.O.c. I. si ad meninges diffunditur, acutos semper dolores utique facit, in pr. si valde acris est. Suspicionem etiam valde auget purulentæ alicujus materiæ in capite hærentis, si caput dolere incipiatur

piat ab Empyemate, peripneumonia ac pleuritide, in pr. si hi affectus cessarint sine notabili ac sensibili aliqua evacuatione: quod quoque possunt ictus, casus, ac contusio. Binnerus observavit Abfcessum fuisse cum aurium sonitu ferè continuo, vertigine & cum memoriae imminutione uti & sinistri lateris totius sudore & frigoris sensu.

LXXXIII. Si à serosa colluvie, ut plurimum etiam non accuratè circumscriptum locum, aut eandem sedem observat; sed interdum alterutrum occupat latus, modò anteriora, posteriora modò magis: accedit dolor ut plurimum ebulliente sanguine seroso, eoque plus calidò justò, quoniam hujus indolis est serum, ut ob suam tenuitatem cum sanguine naturaliter leviter conjunctum facile effervescat. Observamus sub vesperam magis quoque exacerbari, quoniam tunc, subtractis nobis radiis solaribus magis etiam cumulatur, serum, & ita ob suam abundantiam etiam facile effervescere potest; tum sudant multum; aggrediuntur dolores cum horripilatione quâdam, oscitatione, & pandiculationibus; interdum cum vomitu seroso & lipo-tymis, palpebrae tument sine ullô ferè rubore, aures tinniunt, vertigo haud raro comitur. Magis certi sumus si ab Urinæ suppressione dolor statim invadit; si dentes compatiuntur cum effluxu multi tenuis seri, ac gingivæ intumescentia; si cutis capitis in tumorem attollitur sine omni ferè rubore, si ad hydropem pronus est æger, si frequentes patitur destillationes, si color faciei albus, lividus, vel plumbeus, si levamen à calidis siccis sentitur, multum mingunt, frequentes diarrææ ipsis obveniunt. Quod si autem materia serosa aliquâ membranâ conclusa est, dolor magis fixus est.

LXXXIV. Si à flatu, dolor est tensivus aut lacerativus: morbi qui generant magnam copiam flatuum, suspicionem præbent, uti melancholia hypochondriaca, scorbutus, hysterica passio; aut si sanguinis constitutio est serosa, nam serum quoniam facile effervescit, promptè quoque in flatu abit.

LXXV. Si dolor acer, erodens ac perforans, ille fit ab humore bilioso, acri, feriente meninges cerebri. Formicans dolor videtur à motu alicujus materiae in parte agitatæ dependere; & suspicor talem in pr. fieri ob serosam materiam in flatu interdum abeuntem; quod sepe observamus in Hypochondriacis & foemini hysterics: hinc in iisdem dolor est gravans cum frigoris sensu, quem describunt non aliter esse ac si vertici glacies incumberet: serosam etiam

materiam illius esse naturæ ut excitet frigoris sensum, audiemus si modò interrogabimus catarrhosos: Alii hunc frigoris sensum in Hysteris explicare conantur à spiritibus ad uterus aut aliò raptis; aut si non transmittantur eò ob obstructiones in nervis uteri; tum quod nervi sint reverà à natura frigidiores, retracti, certè in Hysteris & convulsis, si sensus adhuc aliquis vigeret, dicit Piso tr. de serosa colluvie, sensum cuiusdam auræ frigidæ inducit.

LXXVI. Alius dolor est urens; quem aliqui explicant, quod omnes spiritus ibi in puncto uno quasi concentrati sint. Sæpe etiam observavi quod ejusmodi dolor, qualem radii solares per speculum ardens concentri in cute excitare solent, sæpiissimè illos, qui cachexiâ scorbuticâ laborant, affligat; tum scorbutici non tantum in capite ejusmodi dolorem urentem percipiunt; sed sæpe etiam in nucha, in dorso, in digitis pedum, aliisque partibus corporis. An autem scorbutô laboret per ejus signa pathognomonica scire poteris. Æstuosus dolor vexat crapulis deditos & Tabacum amantes, aut nimis utentes aromatibus. Pulsatilis ob easdem fit causas, dum scilicet sanguis nimis rarefactus impetuosiùs justò influit; vel ita rarefit ut sanguis liberè permeare nequeat, & vasa, quoniam præter morem replentur, nimium distendantur: Ejusmodi autem dolor potiss. ob Arterias, nimis dilatatas oritur; sæpiissime tamen etiam in sinubus cerebri internè juxta futuras capitum currentibus percipitur ipse; nam hi etiam præter morem aliarum venarum naturaliter pulsant, licet non semper id percipiamus: Hunc vero dolorem tactu scire possumus: oculi interdum rubent, impr. si plethoricus est, si V. S. instituta juvat: & si vasorum repletio adeat simul cum magna copia seri in cerebro stabulante, conqueruntur ut plurimum de dolore gravativo tensivo & simul lacerativô.

LXXVII. Dolor corrodens ac proserpens esse solet, si à vermis sit. Saxon. panthei lib. 1. c. 2. inter signa vermium in capite præcipuum ponit vertiginum frequentiam, quod ad eorum motus etiam spiritus animales simul agitantur: addit dolorem esse simul acutum & pungitivum; accedere sternutamentum frequens, salivæ multitudinem ac pruritum narium; suspicionem augere possunt infantia ac pueritia, quæ ætas valde obnoxia semper vermis; & si homo laboret febre Hungarica; in primis si exeat vermis per nares vel aures; quæ etiam interdum solent fœtere. Benivenius de abditis cap. 100.  
obser-

observavit dolorem etiam acutum, mentis alienationem, caliginem oculorum, aliaque prava Symptom. cumjam mors esset in propinquuo septima die adventante vermen ex dextra nare palmô longiorem exclusum fuisse, unde statim omnis languor amotus. Si dolor est pruriginosus potest esse à pediculis in membranis cerebri; dolor satis immanis est, & ad perpetuum scalptum incitantur, inpr. si etiam intrâ pericranium & cutem hæreant: alia plura gravia symptomata narrantur ap. Bonetum tr. de abditis morborum causis c. i.

LXXVIII. Si dolor est à callosa aut schirrosa aliqua substantia, semper esse solet in uno latere fixus & quasi premens; sed hîc valde interdum decipiuntur medici; quoniam haud raro alia materia esse potest quæ sub membranis sive inter eas stabulans simili modô afficit; quæ sëpe purulenta est, in folluculo contenta; revocentur ig. in memoriam quæ supra de abscessibus dixi: sëpe etiam potest esse lapidea aliqua substantia membranis adnata; hæc autem quoniam sëpiissime inæqualis & cum cuspidibus nascitur, dolor ut plurimum est pungitivus ac dilaceratus; præterea consideranda est ægri constitutio, nam si calculosus aut padagricus est, suspicamur haud immerito tophos fortassis in causa esse. Si à sanguine grumescente, casus ictusque suspicionem augent. Notandum adhuc est, quod, si ejusmodi aliqua substantia, uti de callosa in primis observatum est, nervo optico insideat, illum multum quoque premat & guttam serenam inducat.

LXXIX. Sëpe à carie ossis dolor immanis oritur. Hîc consulatur Hipp. l. 2. de morbis, ubi monet in tali casu cutim de capite aliâ atque aliâ parte discedere, id est cutim ab osse separatam, ad tactum persentiri; ad quod maximè est attendendum cum sit infallibile ac certum cariei ossis indicium, affirmante etiam hoc Petro Sal. divers. in Annotat. in lib. Donat. Anton. ab Altomar. c. 11. Cariei suspicionem nobis etiam dat lues venerea, aut si acria medicam. sunt incaute applicata, uti sp. vitrioli, butyrum Antimonii.

LXXX. Cranii aliqua portio depresso sëpe ingentem dolorem comitem habet; id autem per tactum scire licet, & quod homo ictum vel casum violentum passus fuerit: & si hæc depresso magna quidem est, sed sine fractura, vomitus, stupi ditas adsunt uti Hild. observavit in pueris 10. annorum. Interdum tamen deprimi Calvarias posse ex casu arbitratur Hildanus, nullis supervenientibus symptomatibus quod fretus

experienciā propriā fatetur; & de hac re etiam legi potest Carpus in lib. de fractura Cranii. Si autem cum fractura, Symptomata sunt graviora & convulsiones superveniunt, & secundum Aquapend. Chirurg. p. 2. l. 2. c. 15. superveniunt vomitus biliosi, occaecatio, non tamen semper, obmutescientia, sanguinis per nares & aures effluxus, & æger sine sensu quasi dormiens, jacet, vertigo maximè vexat. Hæc licet non superveniant, nihilominus tamen oportet dubitare de crano fracto; attendendum ig. ad instrumenti figuram, magnitudinem; an juvenis vel senex sit, robustus vel debilis; num habuerit caput vel sanum vel male dispositum &c. Si à frustulis cranii oritur, dolor valde acutus, & pungens esse solet; convulsiones interdum superveniunt, & aggrediuntur fæpissime ægrum insultus. Epileptici; casus & ictus fortis iterum augent suspicionem.

LXXXI. An ob serosum sanguinem frequens illa ebullitio fiat, per signa sua suprà dicta innotescit; an biliosus sit sanguis, etiam facile sci-ri potest nam si à bile capitidis dolor utplurimum erit distendens, & pulsatilis cum oris interdum amarore, coloreque interdum candidi oculi in luteum conversò; vomitus biliosi superveniunt, cholagoga atque refrigerantia juvabunt. Quod capitidis dolor etiam oriri queat à febribus, scorbutô, lue venerea, aliisque morbis, suprà dictum; talis facile autem cognoscitur ex signis hujus vel illius morbi.

LXXXII. Si à ventriculo, scire poteris ex molestiis & symptomatis quæ capitidis dolorem utplurimum antecedunt; qualia esse solent vomitus, anorexia, bulimus, rosiones in ventriculi orificiis; deinde vero demum caput in consensem rapitur. Joubertus docet se experienciâ frequenti, observasse, dolores capitidis à ventriculo obortos, magis anteriorem capitidis partem offendere; præterea videmus Hypochondriacis ac biliosis à pastu frontem dolere; quod necesse est fiat, ob certam ibi dispositionem aliquam, cuius mentionem feci suprà. Observavi etiam Hemicranicum dolorem cum dimidio frontis ac uno oculo uti & cum dimidiate nasi, à ventriculo semper maxima cum bulimia inpr. repetente sùm paroxysmum.

LXXXIII. Quod si dolor est ab utero, videndum an uterus etiam rectè sese habeat; an menses aut lochia quoque rectè fluant, an fortassis multum crudæ ac acris materiæ in utero congestum sit; an foemina alias hystericas passionibus sit obnoxia. Dolor autem qui ab utero ori-  
tur, utplurimum semper cum frigoris sensu est, ac quasi glacies in-  
cumbe.

cumberet vertici. Langius quoque vult potissimum in vertice esse, dicens lib. I. Epist. 49, se illud plusquam centies expertum fuisse in hysteriarum & quavis uteri affectione solum verticem capitis propè futuram coronalem, doluisse, & ibi mulieres instar glaciei, frigus & pondus sensisse: Quod, inquit, si observaveris ad discernendum quando per matricis consensum doleat, tibi plurimum proderit. Auctores vero non satis inter se conveniunt, an dolor vel synciput, occiput vel verticem magis afficiat. Langius uti modo dixi, vult verticem, Galenus vero magis partem anteriorem: joubert. cap. de Cephalalg. verticem & occiput magis. Sed hoc variat, modò enim in vertice in foemina albo fluxu laborante illum observavi, modò, licet rarius, in occipite. Hæc disputatio parum utilis est, sufficit tantum sciamus per alia signa an ab utero sit; & quod ab utero sit, docet Roderic. de morb. mulier. l. 2. c. 7. scilicet tunc adest ventris murmur, & quoniam dolor crescit circa menstruorum tempus, magis adhuc si suppressa sint, aut diminuta, vel lochia non rectè fluent, si foemina alias hysterica sit; si secundum Sydenh. Chlorosi laboret & patiatur vomitiones enormes. Oculi ut plurimum compatiuntur si abutero est, palpebræ interdum fiunt rigidæ, quod fieri arbitror ob redundantiam circa tempus fluxus menstrui in corpore humorum crudorum & in vasis oculorum effervescentium. Evolvatur etiam Sydenh. tr. eruditissimus de affectione hysterica, ubi symptomata hysterica accuratè docet; inter quæ dicit, dolorem in dorso certò certius persentiscunt, quotquot vel levissimè hoc affectu tanguntur: porrò inquit, non raro notabilis quædam externalium partium refrigeratio illis symptomatis, quæ sunt ab utero, viam quasi sternit & plerumque non nisi paroxysmo finitò dispellitur.

LXXXIV. Dolor an sit vel internus vel externus, ita discernitur: si pars dolens tangi non patiatur, nec capilli sine ingenti capitis dolore inverti queant, imprimis etiam si cutis tumeat, dolor est externus: si vero internus, tactum optimè fert, capilli inverti possunt sine dolore, & ex compressione capitis levamen ægri sentiunt; hinc semper manibus caput sibi comprimi aut linteolô aliquo constringi, anxie petunt, dolor quoque acutior est & ut plurimum magis sensibilis. Quidam cum Galeno affirmare pro certo audent dolorem esse internum si pertingat ad radices oculorum, quia illorum tunicae à cerebri meningibus prodeunt, unde fit, ut dolore eò usque facile propagetur: sed Fernelius hoc negat l. 5. c. 1. Pathol. afferens externos etiam dolores ad radices

rum pertingere, quod pericranium orbitam oculi investiat; de hoc plura vide ap. River. in praxi sua l. 1. c. 16.

LXXXV. Ut autem Reliquæ quoquè innotescant causæ, de iis est interrogandus æger: scire oportet quoniam tempore, quoniam horâ paroxysmus repetatur, & cum quibus symptomatibus; qualis vietu & potu utatur, an fortassis evacuationes consuetæ suppressæ. Considerandus est locus & aër, in quo vivit &c. interrogandus est etiam æger quādiu passusuerit capitis dolorem in hac vel illa parte; num sibi meminisse possit causæ illius ex qua ista debilitas orta; Medicus etiam hīc sibi omnia in mentem revocare debet, quæ alijs partem reddere possunt debilem.

LXXXVI. Quam difficile verò sit interdum ut causam adeò sœvi doloris ægro certò indicemus, facile colligere est ex præcedentibus, quare consultum arbitror, Medicus in hac valde intricosa indagatione primò accessu suo ad ægrum non illicò semper suum præcipitet judicium, ne deinde dum res aliter dat, calumniam patiatur: nam nonnullæ causæ, ut suprà dixi adeò abstrusæ sunt, ut illas non licet nisi longitudine temporis investigare quam ob causam impossibile est ut semper certò prædicere possimus an ad salutem vergat sive minùs. Ex collatione autem symptomatum, naturæ robore & cauſæ vehementia utique haud parum colligere possumus: Et quæ de dolore capitis in acutis morbis prognosticanda sint, satis collegit Sennertus Pract. l. 1. part. 3. Sect. 1. c. 2. ad quem remitto lectorem.

LXXXVII. Capitis dolores qui sunt ab abscessu vel folliculo inclusu, vel minùs, in penetralibus cerebri inpr. hærente, dubii sunt semper exitus; si autem materia purulenta per nares, aures vel os exeat cum levamine, benè sperare oportet: nam haud pauci hoc modò, fuerunt liberati, utillegimus ap. Binninger. obs. C. iv. & obs. 46. C. iij; Tulp. lib. 1. obs. 32. interd. præter omnem spem à causa aliqua externa violenta abscessus rumpitur & per aures se aliquando evacuavit, uti ḡ Πάτρι Henric. Meibomius quondam observavit à nivo globo, quem puer fœminæ in istud latus dolens perierat; idem observavit Bootiustr. de A. O.

LXXXVIII. Hęc ita esse, & fieri sepissime cum maximo ægri levamine, nec raro plenissima ejus restitutione, porrò non dubitandum est. Quomodo autem hoc fiat non adeò promptè explicari potest, cum illæ viæ uti os cribriforme in vivis oppletæ multis vasis & membranis;

uti etiam foramen illud quod in Sceleto ex aure in cranium patere videatur, nervo auditorio occupatum est, & via quæ ab aure externa ad internam dicit in osse petroso terminatur. Quoniam autem sese ita habet cum aure, inde etiam fit, quod non tam frequenter, nec adeo feliciter solvantur abscessus per illam, quod bene observant Practici accuratiores. Sic ex relatione Cl. Meib. habeo, quod civi cuiusdam Helmstadiensi laboranti abscessu interioris capitis qui primò videbatur se soluturus per aurem, quod palam satis fiebat ex ingenti inflammatione in aure existente cum acerbissimo dolore, adeò ut vix Topica ferre posset; cum autem nihilominus suissent applicata, solutus sit non per aurem sed per nares, & feliciter. Videtur igitur via per nares facilior esse: præterea non negandum ex cerebro secundum naturam aliquid ad nares quotidie pervenire; arbitror autem hoc non fieri per poros sensibiles; sed hinc ita sese habere uti cum filtro, cujus pori etiam non semper sunt æquè sensibiles: potest interdum tamen quoque esse, ut pus ob acrimoniam suam membranas ossis cribiformis sensim sensimquè perrodat & ita sibi viam faciat: quod si à causa aliqua externa rumpatur abscessus, necesse etiam fiat violencia in osse cribiformi & pori ejus magis sic dilatentur. Idem dici potest de aure si per eam solvatur. Bonò igitur animo esse oportet, pure per hanc vel illam regionem exeunte; hinc rectè dicit Hipp. Aph. 10. S. vi. Κεφαλὴ πονέοντι καὶ περισυνέοντι, πύνη ἡ ὕδωρ, ἡ αἷμα πυεταί λα τὰς πύνας, ἡ κατατά τὰ ἀλα λύει τὰ νίσοντα.

XIC. Si materia purulenta per cutem capitis exsudet, sperare bene oportet, uti observavit Tulp. l. i. c. 32. Ingenti iterum is premitur difficultate qui intuetur cranium, quod omnino poris sensibilibus substitutum est, nisi illa foraminula, per quæ vasa transeunt & minutissimæ fibræ meningis, pro poris agnosceret velit; nec negandum per illa, juxta vasa ac fibras æquè ac in naribus ac auribus aliquid materiæ purulentæ destillare posse; interim tamen pus illud saepe per proprios cranii, qui ubique sunt, poros, licet insensibiles, excludere posse habemus ex observatione multorum. Et quod ossa etiam sint porosæ videatur Boylei *Experiments and considerations about the porosity of bodies.* c. 7.

XC. Ille Capitis dolor, qui à verme, si hic què exeat per nares vel aures cum levamine, solutionem citam dolores portendere solet Exire autem illum sepe rodendo omnino statuendum est; nec arbitramur

dum quod omnes vermes qui per nares aut aures egrediuntur, intrâ cerebrum fuerint generati; nam interdum utique intrâ aurem & nares etiam generantur: & in cavitate frontis sâpe etiam repertus est vermis quod habet Rolfinc. de cap. dol.

XCI. Hæmorrhagia narium vel alvi fluxus superveniens sâpissimè ab omni dolore liberat quod observavit Binning. obs. v. C. iij. interdum multis vesiculis sponte obortis Hemicrania curata fuit, Borell. obs. 39. C. j. Tumore in fronte apparente eôquè aperto cum levamine, bonum, uti idem ibidem observavit. Solvit nonnunquam etiam largô lotii profluviô Rhod. obs. i. C. j. Capitis dolorem copiosò vomitu serosæ materiæ cum bile commixtæ sublatum fuisse notat Carol. Piso de serof. Colluv. A verrib. in intestinis contentis frequenter oriuntur dolores capitis, qui autem, illis excretis, sâpe desinunt. Non desperandum est si dolor externus est, & à serosa materia, quon. illa tenuis, itaquè facilius dissipari potest; deinde qui est à nimio, ac plus justo effervescente sanguine, vaseaque nimis replente, non adeo difficulter tolli potest. Ille vero qui à lapidea aliqua substantia aut ab indurata Carotide, aut eâ aliquomodo lapidescente, incurabilis est, uti etiam ille qui est à crâno nimis diu sphacelato, ad exitum quoque vergit, si cerebrum est putridum factum: non curationem omnimodam permittere possumus; nec si dolor est à membranis exæsis aut coalitis; desperandum utique est de illo dolore, qui est à gummatis & tophis, sobolibus luis venereæ, ni hic violento remedio, salivationi mercuriali aut diligentí usui lignorum cedere velit. Melius sperare licet si à frustulo crani, quoniā manus admota ibi adhuc aliquid præstare potest: dolores qui cum Febb. accedunt, recessunt etiam cum illis; Is autem qui ortus cum Febre intermittente Epidemica post paroxysmum in Nucha inpr. adhuc durare solet aliquamdiu. Pars quo magis intemperata aut læsa olim, eo difficiliores etiam sunt curatu dolores capitis; & quò vetustiores eò contumaciōes.

XCII. Postquam ita edocti sumus per quænam signa, causa doloris capitis, quantum possibile est, sciri queat, & quomodo sâpe soleat solvi, meritò jam aggredimur curationem. Nam Hipp. I. de Medico, inquit; solus is qui signorum cognitionem habuerit, ritè curationem aggreditur. Non autem Medicus primô suô accessu semper tollere causam doloris potest, tum dolor maximè urgens interd. est symptoma & vires brevi omninô dejicit. Allaborandum igitur eò potius

tius est, ut dolori succurramus, eumque, quantum possibile erit, demulceamus; quod fieri potest Anodynis & Narcoticis: nihil enim hisce, ægrotis, gratius est, dicente id Wedel. l. 2. S. 2. c. 10. de Medicam. facult. Anodyna verò quoniam mitioris sunt virtutis & externè utpl. tantum adhibentur, tutiora sunt Narcoticis. Anodyna tamen etiam non sine respectu adhibenda sunt; sic quidam capitis dolor magis Emollientia requirit; in pr. scilicet quando dolor est tensivus & vellicans, sive ab acri humore vellicante, aut si materia sub cute capitum collecta in pus abire vult.

**XCIII.** Alia sunt Repellentia quæ in usum maximè veniunt quando sanguis à contusione extravasari vult & in tumorem abire, sed necesse est, hoc fiat omnino in initio, si enim tardius, utique dolorem augebunt; Tum hæc egregie convenient, si sanguis nimis effervescentis nimisque copiose per carotides externas ad caput fluat; hinc in Febribus multum solatii accipiunt ægri ex Epithematibus repellentibus fronti ac temporibus applicatis.

**XCIV.** Alia Anodyna sunt discutientia, quæ locum utique habent in cap. dolore à contusione in pr. levi, si scilicet sanguis recens extravasatus, non adeò multus, & adhuc tenuis, nec firmiter congrumatus, tunc enim facile discuti potest; aut si dolor ortus à vaporibus vel à serosa materia, vel ab acribus humoribus meninges vellicantibus. Talia sunt præcipue Cephalica pleraque., uti chanae dr. verben. Beton. fl. anth. Til. lil. conv. Fl. Stoech. Arab. mal. persi. olea stillatitia uti ol. menth. lavend. ceræ, castor. Aqu. Cephal. Carol. V. *l'eau de la Reine*. Interdum discutientia cum Repellentibus quoque miscentur, quando nempe simul repellere & discutere volumus, quod in capitum dolore à contusione, haud inconsultum erit, & si a sanguine vel sero nimis effervescere & nimis copiose ad caput ruente oboritur.

**XCV.** Et ex ejusmodi Anodynis pro arbitrio suo quivis varias formulas parare poterit. Nonnunquam verò hæc non sufficiunt, sed ad Narcotica sæpe etiam deveniendum est, quæ sensum quasi hebetem reddit, atque illum stupefaciunt. Et ea non tantum externè capiti applicantur; sed etiam internè propinanda. Perinde autem est sive externè, sive internè illa adhibere velis, tamen in utroque id cautè ac circumspectè facere debes, nam interdum prorsus non habent locum in pr. si æger in somnolentiam pronus erit, si vires jam prostratae, uti rectè monet Wedel. in Opiol. l. 2. S. 3. c. 3. aut si

æger cum capitis dolore alium morbum conjunctum habet, qui Narcotica aut opiate non semper æque tutò fert, uti in peripneumonia ac pleuritide. Nec ferunt semper illa Febres inpr. intermittentes Epidemicæ, variolæ ac morbilli; nam natura aliàs à pugna suscepta quę valde necessaria erat ad exturbandam vitiosam materiam, revo- catur; nec tutò sunt in iis capitis doloribus qui cum melancholia fiunt, quoniam in illa sp. animales jam satis debiles, & quod hoc modò ad- huc magis debilitarentur.

**XCVI.** Optimè autem propinantur internè in capitis dolore qui est à nimis effervescente sanguine ac nimium ebulliente, aut à magna ebullitione seri. In illis doloribus qui à lue venerea vel à scorbuto etiam multum possunt opiate. Hinc Willis, Tr. de scorb. c. 10. dicit, se malle quovis præterea medicamentorum genere, quam Opiatorum usu desti- tui. Et multum mitigare illa posse, adstipulatur Drawitus tr. de scor- but. Hoc etiam confer quæ Wedel. in Opiol. l. 2. S. 2. c. 4. p. 117. de Dan. Horst. observat. narrat. Multum quoque posse in lue venerea ex- tra dubium est; scio enim laborantes lue venerea inveterata in maximis semper doloribus ad opium confugere. Optimè etiam convenient in capitis dolore qui abutero non rectè se habente, qui à mensibus immo- dicis, qui à fluore albo, qui ab humore acri circa nervos uteri stabu- lante. Deinde ad ea quoque configiendum, quando dolor est ab acri humore ventriculi tunicis impactō, qui illarum fibras non tantum, sed etiam ventriculi nervos simul irritat, ut exinde sæpe bulimia excite- tur, & caput frequenter in consensum rapiatur: in quo casu expertus sum Opiata mirandum præstare effectum, si cum Cinnabarinis una mixta propinentur. Nec in Himicrania à dentibus corruptis illorum usus omittendus; nec Arthriticos sine solamine relinquit. Quæ au- tem internè propinantur Narcotica, sunt opium, Syrup. Papav. Rhæad. Tinct. Papav. Rhæad. Tinct. anodyn. laud. opiat pil. de Cynogl. Aqua Hypnotic. Hæc omnia etiam simul somnum inducunt.

**XCVII.** Externè quoque, uti supra dixi applicantur Narcotica, cautè tamen quoque hic procedendum; absint enim si carus aut coma instet, si vires jam præstratæ &c. Delectum quoque in applicando commendare volunt Auctores; sic Francisc. Hildeshem. vult opiate non Commissuræ coronali, sed fronti admoveantur; dicit porrò Ce- rebrum minimè tolerare potest opium citra noxam, commissura au- tem quia est pars capitis rarior, facile opium recipit, quod non con- tingit

tingit si fronti applicetur. Sed hic metus inanis videtur esse. Inter Narcotica externa etiam referuntur Hyoscyam. Mandrag. eorum olea inpr. hæc autem magnacum cautione sunt applicanda; gaudent enim Sulphure impurô, indigestô, naturæ inimico, non blandô, dicente id Wedel. de facult. medicam. l. 2. S. 2. c. x. Inter externa quoque omnne papaveraceum genus locum habet. In vigiliis immodicis & maximis dolorib. multum solaminis dat, si de Extr: laudan. opiat. gr. 4. l. 6. cum 3. gt. olei Nuc. Moschat. tantillo expressio oleo misceatur narib. indatur. Petri Borelli Pater Hemicraniam, quam per plures annos ipse passus erat, curavit frontali ex album. ovorum cum croco. Borell. in observ. Cent. 1. Obs. 61.

**XCVIII.** Jam videndum est, quid auxilii Venæ Sectio nobis promittat. Hæc meritò in multis magnisque morbis à Galeno, appellatur *βούθημα μέγα*. Hinc multum juvaminis afferit si Vena secetur in capitis dolore, qui est à plethora, aut à nimio bilio ac effervescente sanguine, à nimia hæmorrhagia narium vel mensibus, aut hæmorrhoidib. vel lochiis nimium fluentibus. In his autem casibus potissimum secatur vena mediana, nonnumquam etiam Basilica vel Cephalica. Sæpiissime tamen magnô cum fructu aperiuntur quoque aliae venæ capiti proximiores uti vena frontis, venæque temporum in illo inpr. capitis dolore qui ab inflammatis meningibus & à nimia vasorum per easd. per retantum repletione, & qui est ab hæmorrhagia narium consueta iupressâ, vel abiectu, casu contusione &c. Deinde etiam adhuc remotiores magnô cum fructu secantur: sic Spigelius, uti legere est ap. Rhod. obs. 73. C. 1. in semetipso aliisque sustulit Hemicraniam pertinacem incisâ venâ, quæ inter indicem ac pollicem excurrit. Porrò si à mensibus, lochiis vel à Hæmorrhoidibus aut lochiis suppressis, nullum præsentius remedium est quam si saphæna in pede aperiatur; & Narcotica hic non tantum valent, quam unica V.S. quoniam causa doloris hoc modo unâ sæpe tollitur vice; suaderem etiam hæc Saphæna aperiretur in illo capitis dolore qui est à vasorum renum nimia repletione, unde fit ut urina non rectè possit separari sed ad caput debile revertatur. Scorbutô calidô laborantes, Arthriticos & Febre valde servidâ decumbentes nunquam sine solamine adhuc reliquit Venæ sectio. Hæc autem utique instituatur respectu observandorum. Nec locum habet in illis capitis doloribus, qui fiunt ob crisin aliquam vel ob constitutionem aliquam contagiosam in aëre.

**CIX.** Interd. Venæ sectio non sufficit, sed necesse est, arteriæ quoque aperiantur, minores tamen, quæ sunt in temporibus & circa aures. Sic Paræus & Wurtzius in fœmetipſis ac aliis arterias temporales magna cum utilitate fecuerunt. Riverius apertione arteriæ temporali atrociſſimam Hemicraniam curavit, nec ullum in ea arteriarum apertione periculum esse advertit. Idem ferè dicit Botallus, addens in vetustis capitis doloribus qs. miraculo conferre.

**C.** Cucurbitulæ & Hirudines non sine magno solatio venis capitatis collique applicantur. Hildanus cucurbitulam corneam, ut depresso cranum iterum elevetur, commendat.

**CI.** Sanguis sæpe etiam peccat vitiō humore sive sit biliōsus, si-  
ve serofus, non rectè ſeſe habens, nec quoad quantitatē, nec qualitatē ſive aliō modo depravatus. Ille autem qui peccat quoad quantitatē ſui evacuationem indicat, licet cum certa quadam diſtinctio-  
ne. Biliōsus commode per alvum subduci potest per adhibita Cholagoga, uti Rhabarb. pulp. Cass. recenter extr. El diapr. ſolut. pulv. Cornachin. pil. roſar. &c. serofus humor. commodius subducitur per Elater. Resin. Gralapp. Mag. G. Gott. El. diacatholic. pulv. diaturb. pil. Aggregativ. maj. Troch. Alhand. Mercur. d. Quod ſi humor uterque peccat ſimul, Cholagoga cum Hydragogis ſunt combinanda, ſive hæc vel illa ſunt eligenda, quæ utrumque præſtare poſſunt. Porrò ſi Humores vitiosi non tantum in ſanguine abundant; ſed etiam iij acres ſint, talia danda ſunt purgantia, quæ ſimul illorum acrimoniam mi-  
tigant, uti Cassia ſolutiv. Tamarind. Mercurius d. El. diapr. ſolut. Si à vermis capitis dolor, purgantia utique conveniunt & talia ſunt eligenda, quæ eos ſimul necant, ac putredini ulteriori refiſtunt, quod inpr. præ reliquis purgantibus faciunt Cholagoga, uti Aloe, troch. Alhand. Rhab. ſpec. diaturb. c. Rhab. His addi poſſunt Mer-  
curius d. Extr. Elleb. n. Alias in officinis etiam habentur pilulæ quæ dicuntur caput ſpecificè purgare, quales ſunt pil. cochiār. pil. Arab. pil. maſtichin. pil. de ſuccin. Crat. quæ in quovis capitis dolore quando purgare neceſſe eſt, à Medicis præſcribuntur.

**CII.** Notandum autem quod purgantia magno cum ſuccetu den-  
tur in illo capitī dolore, qui à mensibus ſuppreſſis, aut non rectè flu-  
entibus, tempore fluxus aliás ordinariò instantis. Quod etiam ob-  
ſervandum puto, ſi ab haemorrhoidibus jam ſuppreſſis ſtatō tempore aliás fluere conſuetis. Nec ſilentio involvendum eſt, neceſſum ſæ-  
pe

pe esse, purgantia præmittantur Venæ sectioni, quod benè notandum, quando scilicet plethora non adeò magna, nec effervescentia sanguinis adeò vehemens, cacoehymia verò valde excessiva, & sanguis multis ac pravis humoribus potius scatet, qui prius sunt educendi. Deinde in purgationibus uti in V. S. cautelæ suæ sunt tenendæ: Addo, quod saepe consultius sit per ~~inipacu~~ vicibus repetitis purgare, quam unâ vice omnem saburram exturbare anniti, quod utique observandum in illo capitis dolore, qui est à Chlorosi. Fortiora autem utique commando in capitis dolore fixo, inpr. qui est à materia purulenta vel serosa intra cranium congesta.

CIII. Clysteres & suppositoria semper tutò applicari possunt, inpr. si capitis dolor ob ~~oxycæla~~ in intestinis exsiccata & flatus in iis contentos.

CIV. Sudorifera valde commendat Carol. Piso illaque comprobata invenit in Hemicrania à serosa colluvie. Utpl. autem dantur extra paroxysmum in quôvis capititis dolore qui est inpr. à sero abundante ac acri. Si autem in vasis lymphaticis factæ fuerint stagnationes in paroxysmo ipso dari possunt & has feliciter solvit salvol. succin. cum Cinnabarinis commixtum uti habet Blumenb. in disputat. jenæ habita de succino. Sudorifera quoque convenient, ubi videmus naturam velle exturbare materiam vitiosam quæ interd. est purulenta, per poros cutis. Nec illorum usum dissuaderem in dolore illo capititis qui est à recenti contusione, & ubi spes est, coeteris partibus, ut materia extravasata tenuis ac discuti adhuc queat. Nec sine fructu adhibentur sudorifera inpr. quæ sunt è lignis, in gummatibus & tophis Capitis dissolvendis.

CLV. Diuretica quoque convenient potissimum in serosa abundante colluvie. Inprimis etiam quando capititis dolor ab urina suppressa. Aut adjuvanda est iis natura, si videmus naturam per urinam amandare velle materiam aliquam vitiosam quæ est forte causa doloris. si autem humores acres simul peccent, talia eligi posterunt quæ illorum acrimoniam mitigant, & sic præcaveri poterit ne renes etiam afficiantur. Quod si verò renes jam exulcerati, ea omittantur consultius.

CVI. Vomitoria rarißimè locum habent nisi certus fueris aliquid p. n. inventriculo hærere, sive sit biliosus humor, sive abundans serosa colluvies, aut aliquid aliud. Sic Carol. Piso dicit vomitum copiose serosæ materiæ cumbile commixtæ semper sustulisse capititis do-

lorem. Hæc verò locum minùs habent si Hemicranicus sit Herniosus aut si foemina sit grāvida, vel vires jam prostratæ; Nec dentur ubi pulmones sunt læsi, nec ubi aliqua in ventriculo erosio aut ulcus adest &c: sed tendanda est potius eorum eductio per alvum.

**CVII.** Fonticulorum usus insignis quoque est, & si sanguis multis impuritatibus scatet: duæ interdum fontanellæ magno cum fructu brachiis inuruntur, nec sine æque bono successu sæpiissimè capiti ipsi applicantur in primis, ubi futura sagittalis vel cum coronali vel cum lambdoidæa concurrit, sive in nucha quoque. Et si Fontanellæ non eum quem exspectas, præstare possunt effectum, ad Setacea confundendum est, quæ non solent nos relinquere in inveteratis ac contumacibus aliàs doloribus capitis; hæc applicantur utpl. in Nucha. Observetur autem ne illa nimis diu gestentur, aliàs enim consueverunt inducere vertiginem, memorię læsionem & totius corporis maciem; quod sæpe etiam observârunt Practici in affectu quodam oculorum qui dicitur Epiphora.

**CVIII.** Vesicatoria non parum valent ad evacuandam & revellendam materiam vitiosam, parentem tam atrocis doloris, illaque adhibui in Hemicranica quâdam ponè aures & in nucha plus quam tricies magno cum successu non satis mirandō. Hæc autem si magna adsit impuritas sanguinis & serosa colluvies valde abundet, eaque admodum effervescent, non prius applicantur capiti quam impuritates istæ subductæ aliquò modō fuerint per alvum, ac serosa colluvies prius diminuta ac ejus magna effervescentia quodammodo composita. Aliàs in quovis fixo ac inveterato & contumaci Capitis dolore usus Vesicatoriorum diligens non satis commendari potest. Nonnulli Audacieores in contumacissimis doloribus totum abradunt caput, eique mas- sam vesicantem super in ducunt.

**CIX.** Errhina ac Masticatoria etiam tentanda sunt, in primis si Subiectum est cattarrhosum, in que eo serosa colluvies peccat; aut si videamus materiam aliquam sive serosam sive purulentam per nares se evacuatram. Ad Ptarmica etiam deveniendum est interdum cum Pastore illo famoso inter rusticos Med. praktico, qui postquam adhibuerit mulierculę in atrocissimo capitis dolore sternutatorium aliquod, & eō caput vehementer conuteretur, unà vermem loco movit, eque nare compulit, quô factō immanis capitis dolor statim conquievit, Th. Barthol. Epist. 74. Cent. I.

**CX.** Si videmus cum Schenckio materiam quandam sive sit purulenta, sive verminosa, sub cute collectam, sive flatus sub pericranio conclusos, sive frustulum cranii exterioris tabule pericranium vellicans, instar in cantamenti s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e tollemus dolorem, cute & pericranio tantum incisis & hoc modo causa tam atrocis doloris s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e unâ vice adimitur.

**CXI.** Si capitis dolor à depressione cranii, illud reducatur Empl. firmiter hærentibus, aut cucurbitulâ corneâ quâ usus Hild. vel etiam instrumentis certis quæ Chirurgis sunt nota. Quod si in Cranio est caries quædam, illa omnino est tollenda vel medicamentis, vel quod tutius est, si fieri potest, ratione. Si interior tabula cranii fracta & frustulum ejus aliquod in violento quodam casu aut i<sup>c</sup>tu abscessum ac meninges vellicet, aut rimas accepit; vel etiam abscessus sub cranio aut intra meninges vel sub i<sup>s</sup>isdem aut alia heterogenea materia, sive sit vermis sive calculus sive aliiquid aliud, ad Trepanationem utique deveniendum est, cum nullum aliud remedium dolori supersit. Sic Capitis dolores valde contumaces ac inveteratos etiam curatos fuisse ope Trepanationis, quotidiana docet Experientia: & apud Auctores Exempla multa felicis curationis leguntur. Sic Rhod. obs. 69. C. I. ita: Nobilis juvencula Patavii ultrâ annum dolore capitis veluti perforante ac fixo mirè cruciabatur. Medicus quod erat suspicatus aliiquid membranis incumbere, bono eventu cranium terebrâ tentandum censuit; ipso etiam apertò, puris fœtidi guttula vix æquans milii granum excidit. Neque ex eo dolore unquam molestus fuit. Idem Obs. seq. quinæ cranii perforationis cum omnimoda doloris sublatione institutæ meminit. Perforatio cranii quoque multum solatii dat si cranium nimis crassum aut sine futuris esse fortè suspicamus, aut materiam intra cavitatem frontis, sive purulentam sive verminosam collectam, cui si exitus terebrâ detur, haud semel miraculi instar omnis evanuit dolor. Non autem ad Trepanationem est accedendum, nisi prius omnia fuerint bene examinata, nec ulla alia salus ægris, quam ex hac sit exspectanda, uti etiam si reliqua omnia generosa remedia in pr. fonticuli, vesicatoria ac setacea sine levamine reliquerunt ægrum.

**CXII.** Dixi supra caput s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e in consensum rapi à dentibus corruptis, quod si observamus, cum Hildano eos omnes extrahi curemus, ac sic inveteratum dolorem s<sup>e</sup>p<sup>e</sup>e miraculi instar tollemus.

**CXIII.** Feci etiam mentionem doloris inter caput ac pedem recipi,

proc. Qualem Tulp. observavit aliquando in uxore fabri lignarii proserpissie, cum manifesto caloris sensu, modò à pede in caput, modò vero à capite in pedis pollicem: in quem cum descenderit, jubebimus illicò cum Tulpio, cucurbitulam illis imponi ad eliciendum volatum illum spiritum: quô extractô, cum illo sèpius videbimus illicò cessare reciprocos illos circuitus l. i. c. 33. Plurimum emolumenti perceperunt Isacius Halmalus, & mercator Brabantinus, ac alii cum Tulpius ipsis in occipite in dolore capitis reciproco admovisset semper cucurbitulas scarificatas vel vesicatoria: lib. i. c. 13. obs. Quod si dolor initium suum semper sumat à pede, nec is obediens velit Vesicatorio, Cauterio, Cucurbitulis scarificatis, nec aliud remedium supersit, suaderem partem minùs necessariam, ut pedis digitum planè abscindere. Sic Galen. lib. 3. de loc. affect. cap. cum salute ægri amputavit digitum, quem vipera momorderat.

**CXIV.** Notum est ex superioribus caput sæpiissimè dolere à nimina sanguinis ebullitione, eaque sedata, ut plurimum sedari quoque dolorem; aut illâ effervescentiâ oriturâ impeditâ tantum, paroxysmum etiam haud semel omnino refrænatum esse. Quam ob causam magnopere commendavi Venæ sectionem. Illa autem non sine dispendio ingenti virium aut sine salute ægri toties repeti potest, quoties invadit paroxysmus. Illius igitur loco propincentur talia quæ ejusmodi ebullitionem sive effervescentiam sanguinis valent compescere, qualia sunt refrigerantia sanguinem, illaque conjungenda sunt cum iis quæ præcipitant sanguinis volatiles salinas sulphureas abundantes partes. In primis acida quoque valde componere possunt sanguinem nimis effervescentem hinc *Sr. Moreau dans le Traité de Chimique de la connoissance des Fievres c. 3. p. 117.* Nihil magis aptum ad componendam ingentem sanguinis ebullitionem videt quam Omphacium, dicens: *je trouve que le verjus qui est le vin dans sa crudité est un acide le plus propre de tous, qui doit servir de remede, pour arrêter le mouvement déréglé des esprits, renager les soufres dans les autres principes, & remettre le sang dans la crudité qui lui doit faire perdre le mouvement de sa chaleur & de son ebullition.* Hæc autem magno cum stratagemate ante paroxysmorum tempus, si illud sciamus, propinantur, nam ordo paroxysmorum hoc modò non semel invertitur ac planè tollitur, quod etiam in febris intermittentibus feliciter succedere videmus.

CXV.

**CXV.** Medicus probè attendat, quomodo humores quoad qualitatem peccent tam in ventriculo, utero, quam toto sanguine. Si humores sint acres illi corrigi queunt cinnabarinis, oc. 69. præparat. corall. rubr. præparat, succinatis ac spermate Ceti. Si acidi eadem quoque sufficiunt; huc etiam referuntur Martialis.

Si humores non tantum acidi, sed etiam corrosivi, potest adhiberi camphora, quæ adeò potens est, ut ob suum sal volatile & resinosum etiam Aquam fortē summē corrosivam edomare possit, saccharum saturni hīc etiam magni est usus. Si acres & falsi, commendantur iterum oculi Cancri Corall. margarit. Fl. Nymph. alb. Emuls. Amygdal. Pistac. Troch. Ramich. &c. Et quomodo tractandi sint biliosi humores satis est notum Medicis. Quod si humor serofus nimium abundet, talia quoque adhiberi possunt, quæ ejus abundantiam aliquo modō absunt sine sensibili aliqua evacuatione, uti sunt Rad. Chin. Rad. Sarspar. lign. guajac. lign. sassafr. Et ex his cum Aqua fontana, additis adhuc quibusdam cephalicis coctis, potionēs quotidianæ fieri possunt; modò cum Fernelio caveamus ne nimis siccis ac calidis corporibus propinentur.

**CXVI.** Quomodo autem propriè humores arthritici, ac scorbutici tractentur, ad me non pertinet dicere, quoniam quivis facile videt, hos non sine Antiscorbuticis, illos verò non sine Anthriticis medicamentis emendari posse.

Porrò quomodò is capitū dolor qui ortus à lue venerea, à febribus, à mensibus, aut hæmorrhoidibus obstrūctis, aut suppressā urinā, vel alvō obstructa, vel à vermidib⁹ in intestinis contentis, tractandus sit, satis callet, qui medicinæ gnarus est, optimè sciens, ejusmodi dolorem haud posse prius tolli, quām morbi ipsi curati, evacuationes suppressæ, solutæ, ac vermes exturbati fuerint.

Sic etiam si capitū dolor à ventriculo, vel ab utero, vel ab alio viscere non rectè sese habente oriatur, haud prius scopum nostrum feliciter obtinuerimus quām si viscera hæc vitiata, prius corroborata ac omnino liberata à labe sua fuerint. Attendat igitur valde sollicitè Medicus ut exploret quomodo vitiata sint illa, quænam intemperies in illis peccet, quo è directo medicamenta sua opponere possit.

**CXVII.** Quod si caput doleat ab insensibili quadam intemperie, vetustate temporis, in membranis capitū potissimum contracta, Medicus in memoriam sibi revocet omnia quæ supra dixi, inducere

posse ejusmodi intemperiem, eaque sedulo evitentur, ægro semper inculcat. Pars autem debilitata hoc modò, diligenter corroboranda est his vel illis medicamentis, quæ huic vel illi intemperiei magis erunt convenientia.

**CXVIII.** Diætam talem sibi eligat æger, quæ rationi causarum accommodata fuerit à Medico.

**CXIX.** Quod præservationem autem attinet, illa satis elucescit ex suprà memoratis causis inducentibus dolorem, quæ si evitentur ab ægro, bene sese habebit cum ipso; impr. si usum medicamentorum adhuc diligenter continuet.

S O L I D E O G L O R I A .

